

aut explicatio tam tremendi mysterii usu. proinde viros pios optare, ut antiquus S. Eucharistiæ usus restituatur. & antistites primis mensium singulorum dominicis diebus, vel sæpius, si fuerint rogati, omnes, qui communicare velint aut debeant, convocent, tum psalmis populari sermone ab omnibus cantatis fidei ac generalis peccatorum confessio edatur, publicæ preces pro principe certisque magistratibus ecclesiasticis, & aliis, pro aëris salubritate, terræ fructibus, proq. afflictis concipiantur, secundum hæc Evangelistarum aut B. Pauli locus de S. Eucharistiæ usu prælegatur & explicetur; & ita ad communionem sub utraque specie omnes, qui adsunt, recipiantur, interea recens & nuper inventum Dominici corporis festum, quod multarum offensionum causam præbeat, & minime necessarium sit, aboleatur, nam mysterium illud ad adorationem & spiritualem cultum, non ad pompam & spectacula institutum esse.

TANTUM.

